



## **Scientia Sanctorum**

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

**Puente, Luis de la**

**Dilingæ, 1685**

49. De 5. verbo, Sitio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

citatum, simul recoluisse, & contulisse vaticinium cum re, eundem Psalmum recitando. Potero etiam ego Psalmum illum cum attentione & mora recitare. Sed in ijs ipsis verbis irrisus est Christus à ridiculè interpretantibus illud: *Eli, Eli, Deus meus, Deus meus*, quasi Eliam in *Ps. 70.9.* auxilium vocaret, quod seipsum salvare nequireret: sic undique captatur occasio exagitantem te, Deus meus!

## MEDITATIO XLIX.

De quinto Christi verbo: Sitio.

### PUNCTUM PRIMUM.

**Q**UOD Christus verè magnam pertulerit sitim: nam à præcedente vespera non biberat; & interea tot circum loca pertractus fuerat cum impetu, & sanguine penè toto exhausto, *aruerat tanquam testa virtus ejus, & lingua ejus faucibus adhaeserat.* In figuram hujus, *Samson*, interfectis inimicis ad mortem, *sitivit*: sed providit ei Deus de *mandibula asini*, qua prostraverat Philistæos. Christo meo non item. *Moses percussit petram virga & hæc aquas largissimas dedit: Petra autem erat Christus*: qui in ligno crucis percussus, non aquam reddit, qua refrigeretur ipse, sed sanguinem, quo nos lavemur, & potemur in vitam æternam. Discam tolerare sitim, & gulæ incommoda.

v.

Verbum

desiderij

*Ps. 21.*

*16.*

*Jud. 15.*

*15. 19.*

*Exod.*

*17. 6.*

PUN-



## PUNCTUM II.

Sitis.

1.  
Obedi-  
entiæ.2.  
Passionis3.  
Salutis  
animarū

**S**ciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dicit: Sitio: Triplex sitis Christi. 1. obediendi Patri, & ita ut sciens hoc deesse ad implenda, quæ Pater voluerat eum pati, ut aceto potaretur, ultro moneat: Sitio. 2. patiendi plura adhuc, nec enim ad refrigerium quærendum aperuit sitim suam: sed ut hanc etiam acerbiter sentiret, paratus ultro plura pati, si Patri placuisset. 3. salvandi animas, qui erat illius cibus & potus. Nota quod non petit, sed indicat tantum necessitatem: sic præsertim religiosus repræsentabit necessitates suas Deo vel Superiori, indicasse satis habens, non flagitans, siti etiam illa triplici debet ardere.

## PUNCTUM III.

**S**pongiam aceto plenam, cum amara hyssopo, in arundine exhibent. Non fuit, qui refrigerium exhiberet: sed magis affligeret sitientem: ut ego liberer ab illa Epulonis siti æterna, cui nec gutta datur. Ad hunc modum peccatores potant Christum, quando cor ei præbent inane, ut spongiam, & à peccatis acerbum & amarulentum, in hastili vanitatis & inconstantia, quæ res magis Christum contristat, quam acetum & hyssopus. At ille, quantum aliam nobis potionem præbet sanguinem suum? *Et calix tuus inebrians, quam præclarus est!* optasset



set pia Mater filium refrigerare; at non licebat,  
& intellexit illa sitim Filij esse præcipuè aliam,  
de qua supra : sed & illam veniendi ad Patrem,  
& intrandi in gloriam suam.

## MEDITATIO L.

De sexto verbo: Consummatum est.

## PUNCTUM PRIMUM.

**A**D tria Christus respexit, ac imprimis ad la-  
bores & pœnas quas ordinaverat Deus, ut  
per omnem vitam pateretur, & gratulans quod  
expleffet omnes, dixit: *Consummatum est*: nam  
& propterea dixerat, *Sitio*: ut ea etiam implere-  
tur quæ restabat, sicut ait Scriptura: *Sciens quia*  
*consummata sunt omnia, ut impleretur Scriptu-*  
*ra dixit: Sitio.* Ergo bone Jesu, impletum jam  
est illud desiderium, quo *avebas baptizari!* ut  
angustia tibi essent, donec perficeretur: & sicut  
*spes dilata affligit animum, ita lignum vite desi-*  
*derium veniens & impletum.* O beatum, qui  
in fine vitæ id dicere poterit!

VI.  
Verbum  
est tri-  
plicis  
Cõsum-  
matio-  
nis.  
1.  
Laborū.  
Luc. 12.  
50.  
Prov.  
13. 12.

## PUNCTUM II.

**D**Einde respexit ad finem, ob quem missus  
fuerat: nempe ut *consummaretur prava-*  
*ricatio, & finem acciperet peccatum, & deleteretur*  
*iniquitas terra, & adduceretur justitia sempi-*  
*terna*: quod per illius mortem completum est,  
attrito serpentis capite, destructâ morte, spolia-

2.  
Officij.  
Dan. 5.  
24.